

Cum rudibus doctus, dives cum paupere tendit,  
Mors omnes homines judicat esse pares.  
Non opus est ergo, cur praecedentia stricte  
Servetur, siquidem nulla tenenda foret.  
Insuper ad Mortem rari praecedere malunt,  
Ultimus econtra quilibet esse cupit.  
Hinc condonandum credo, veniamque requiro,  
Quod non procedant ordine quique suo.  
Mors est directrix; si non bonus ordo tenetur,  
Debet Morti, non mihi, culpa dari.

---

---

## AD LECTOREM, ET AUDI- TOREM.

### De Doctrina Mortis.

**D**isce mori, quicunque legis mea carmina Lector!  
Quisquis es, Auditor! tu quoque disce mori.  
Disce mori, quicunque cupis cælestia regna;  
Si vis cum Christo vivere, disce mori.  
Disce mori, si vis animam salvare perennem.  
Hæc est in cunctis unica, disce mori.  
Disce mori; si morte mala moriere, misellus  
Semper eris: quare flagito, disce mori.  
Disce mori; si morte bona morieré, beatus  
Semper eris: quare consulò, disce mori.  
Disce mori; fugiunt cœta tempora, labitur ætas;  
Dum breve tempus habes, incipe, disce mori.  
Disce mori; nam, quando tuos Mors clauder ocellos,  
Tunc serum nimis est, hinc modò disce mori.  
Disce

Disce mori; nullum piguit, nullumque pigebit:  
Sanctâ morte mori discere, disce mori.  
Disce mori; multos piguit, multosque pigebit  
Non voluisse mori discere, disce mori.  
Disce mori; cunctas ars hæc supereminet artes;  
Nil prosunt omnes hæc sine, disce mori.  
disce mori; Satis est, unum si sciveris illud;  
Quamvis nescieris cætera, disce mori.  
Disce mori; nihil est, unum nisi sciveris illud,  
Quantumvis scieris cætera, disce mori.  
Disce mori; nescis, quoadusque superstes haberis;  
Mors sua libravit spicula, disce mori.  
Disce mori, versus hæc est intentio nostri.  
Nulla mihi petitur gloria, disce mori.  
Disce mori, mundo, devincere dæmona disce:  
Disce voluptates spernere, disce mori.

### Ad Momum Criticum.

Disce mori, nec carpe dicax pia carmina Mome!  
Carpere dedicas, Critice, disce mori.

